

non vult in ulla occasione homini possibili peccatum admittere: exclusa est ergo voluntas peccati. Quare tanquam optimi poenitentes habentur, qui hoc propositum faciunt, *volo potius mori, quam peccare*. Idcirco erit quidem consequens, detestationem peccati ex metu gehennae non esse perfectissimam; at non erit consequens ea non excludi voluntatem peccandi, quod ex Tridentino sufficit.

Adverte tandem vitium omnis argumentationis adversariorum. Cum hi putent se probasse timorem solum non excludere voluntatem peccati, inferunt immediate: ergo est necessaria caritas. At etiam dato antecedente, negatur consequentia: nam posset ea voluntas excludi ex motivo alterius virtutis e. g. iustitiae, religionis, obedientiae, gratitudinis, quae sunt distinctae a caritate.

### THESIS XXIX.

*Ad Augustini testimonia, quae post Iansenium adversarii in medium proferunt contra doctrinam superius traditam, respondemus 1) ea intellecta in eo sensu, quo contra nos proferuntur ab adversariis, non posse ab iisdem acceptari, nisi iidem subscribere velint propositionibus iam ab Apostolica Sede damnatis: 2) ea testimonia reapse non improbare nisi timorem eum, quem nos dicimus serviliter servilem, idque unum postulare ad bonitatem timoris atque ad excludendam voluntatem peccati ut amor sit iustitiae, h. e. non tantum poena sed et ipsum peccatum odio habeatur, quod in timore simpliciter serviliter habet locum. Neque alia prorsus est doctrina s. Thomae in II.<sup>a</sup> II.<sup>ae</sup> q. XIX.*

I. Hae sunt sententiae, quae ex Augustino ab adversariis proferuntur. Ex Serm. 25 in Psalm. CXVIII. «Timor iste, quo non amatur iustitia, sed timetur poena, servilis est, et ideo non crucifigit carnem. *Vivit enim peccandi voluntas, quae tunc apparet in opere, quando speratur impunitas*». Serm. II in eundem Psalmum. «Qui timore poenae, non amore iustitiae, opus legis facit, *profecto invitatus facit*». In Exposit. Epist. ad Galat. n. 43: «Hominem si propterea occidat aliquis ne et ipse occidatur, non implet praeceptum iustitiae, sed si ideo non occidat, *quia iniustum est, etiamsi facere possit impune non solum apud homines sed etiam apud Deum*». Epist. CXLIII. «Inaniter putat victorem se esse peccati, qui poenae timore non peccat; quia etsi non impleatur foris negotium malae cupiditatis, *ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis. Inimicus iustitiae est, qui poenae timore non peccat*: amicus autem erit, si eius amore

non peccet... Nam qui gehennas metuit, *non peccare metuit, sed ardere*. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas odit». De Natura et Grat. c. 57: «Sub lege est, qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore iustitiae, se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber *nec alienus a voluntate peccandi*. In ipsa enim voluntate *reus est*, qua mallet, si fieri posset, non esse quod timeat, ut libere faciat quod occulte desiderat». Serm. CLXIX al. 15. De verbis Apostoli c. 6. «*Qui timore poenae non concupiscit, puto quia concupiscit*». Serm. CLXXVIII al. 19 de iisdem c. 9. «Quid est magnum timere malum? magnum est non facere malum, magnum est amare bonum... Deus cor interrogat, non manum. Lupus venit ad ovile ovium, quaerit invadere, quaerit iugulare, quaerit devorare. Vigilant pastores... non aufert, non occidit... Numquid quia ovem non tulit, lupus venit et ovis redit?... Lupus venit fremens, lupus redit tremens: *lupus est tamen et fremens et tremens*». In Psalm. LXXVII. v. 10. «*Ex corde nullo modo fieri potest, quod formidine fit poenae, non dilectione iustitiae*». Ad Bonifacium L. II. c. 9. «Quando timore poenae, non amore iustitiae fit bonum, nondum bene fit, nec fit in corde, quod fieri videtur in opere, *quando mallet homo non facere, si posset impune*». Serm. VII De Tempore (qui tamen probabiliter non Augustini est sed Caesarii Arelatensis) n. 2. «Poenitentiam certam non facit nisi *odium peccati et amor Dei*». Enchir. c. 121. «Quod fit vel timore poenae vel aliqua intentione carnali, ut non referatur ad illam caritatem quam diffundit Spiritus S. in cordibus nostris, *nondum fit quemadmodum fieri oportet, quamvis fieri videatur*».

Haec vero testimonia eum in finem proferuntur ut propugnetur id, quod prima specie docere videntur, nempe actum ex timore esse coactum sive invitum, cohibere quidem timorem a peccatis externis, non vero ab internis, manere cum timore voluntatem peccandi, hanc non excludi nisi ab amore iustitiae, atque hunc amorem esse veram caritatem sive amorem Dei. Le Drou op. cit. Diss. II. cc. 2. seqq. Castoriensis op. cit. L. I. c. 8. Merbesius Diss. III. De Poenit. qq. 7. seq. Iueninus Diss. VI. De Poenit. q. 4. Lupus Diss. cit. c. 12: post Iansenium De Gratia Christi L. V. cc. 27. 28. ex quo fere omnia Augustini testimonia ceteri descripserunt.

II. Iam vero si hic est sensus horum et similium testimoniorum Augustini, evidens est ea exhibere doctrinam prorsus adversam doctrinae catholicae. Haec est enim propositio 61.<sup>a</sup> Quesnelli damnata a Clemente XI. Timor non nisi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore iustitiae non ducitur: et 62.<sup>a</sup> Qui a malo non abstinere nisi timore poenae, illud committit in corde

suo et iam est reus coram Deo. Item propositio 25 Synodi Pistoriensis « doctrina, quae timorem poenarum generatim perhibet *dumtaxat non posse dici malum, si saltem pertingit ad cohibendam manum*: quasi timor ipse gehennae, quam fides docet peccato infligendam, non sit in se bonus et utilis, velut donum supernaturale, ac motus a Deo inspiratus praeparans ad amorem iustitiae, falsa, temeraria, perniciosa, divinis donis iniuriosa, alias damnata, contraria doctrinae Concilii Tridentini ». Atqui haec est doctrina quam tradi ab Augustino contendunt hi eruditi. Haec namque sunt duo potissima capita, ad quae cetera redeunt: per timorem sola manus cohibetur, non animus: existente solo timore, non est amor iustitiae, et voluntas est necessario addicta peccato. Praeterea ita urgentur a quibusdam ea testimonia ut contendat e sententia Augustini timorem poenae sine caritate esse necessario coniunctum cum pravis motibus voluntatis, ut sit inimicus iustitiae homo ideo quia timore poenae non peccat. At haec est sententia damnata ab Alexandro VIII inter propositiones 7<sup>a</sup> Decem. 1690. damnatas pr. 15: Attritio, quae gehennae et poenarum metu concipitur sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis. Cui ergo credendum est: Sedi Apostolicae, an Augustino? Ianseniani quidem responderent praefendum esse Augustinum (Ipresem scilicet): at catholicus dubius haerere non potest; neque ipsi opus est ob oculos ponere propositionem 30.<sup>a</sup> ibid. ab Alexandro VIII proscriptam: Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere non respiciendo ad ullam Pontificis bullam. Quocirca si talis est sententia Augustini in huiusmodi et similibus testimoniis, restat ut catholicus ab ea recedat.

Itaque si adversarii catholici esse volunt, noluntque hanc labem erroris Augustino adspargere, necesse prorsus est et ut ipsi mitius interpretentur Augustini testimonia, negentque id reapse voluisse dicere Augustinum, quod sibi videntur in eius verbis clarissime videre.

III. Sane neque secum ipso Augustinus committendus est. Is autem perspicue laudat pluries timorem hunc, quem servilem dicimus, *bonum* eum appellat, *servum caritatis comitemque caritatis imperfectae*. Serm. 48. de verbis Apostoli c. 8. « Modo cum dicis mihi: gehennam timeo, ardere timeo, in aeternum puniri timeo: qui dicturus sum? male times, vane times? non audeo, quandoquidem ipse Dominus ablato timore (mundano) subiecit timorem (divinum) ubi dixit: Nolite timere eos etc. ». Cum ergo Dominus timorem incusserit et repetendo verbum, comminationem geminaverit, dicturus ego sum: male times? Ista non dicam. Plane time, nihil melius times, nihil est quod magis timere debeas ». Serm. 43. « Qui

adhuc ideo bene agit quia et poenam timet, Deum non amat, nondum est inter filios. Utinam tamen vel poenam timeat. Timor servus est, caritas libera et, ut sic dicamus, timor est servus caritatis. Ne possideat Diabolus cor tuum, praecedat servus in corde tuo et servet Dominae venturae locum, fac, fac vel timore poenae, si nondum potes amore iustitiae » in Ep. Ioann. tract. VIII. n. 4. « Timor non est in caritate. Sed in qua caritate? non in inchoata. In qua ergo? Sed perfecta, inquit, caritas foras mittit timorem. Ergo incipiat timor, quia initium sapientiae timor Domini. Timor quasi locum praeparat caritati ». Iam vero timor, quem Dominus praecepit, qui ideo commendatur quia praeceptus a Domino, qui servus est caritatis ita ut prohibeat ne Diabolus cor possideat, et servat locum caritati, qui cum caritate inchoata copulatur, nequit esse timor malus, cohibens tantum a peccatis externis, coniunctum habens necessario malum motum voluntatis, malam cupiditatem, voluntatem peccandi.

Est autem imaginatio absurda, quod timor servilis quo poena timetur ut summum vel principale malum, cui coniuncta est necessario voluntas peccati, ideo dici possit bonus, quia si abstrahatur ratio simplex timoris, ea est bona; bonitas enim actus iudicanda est ex eo quod est ipse in concreto cum omnibus suis intrinsecis elementis et adiunctis. Nec dissimilis est alia imaginatio, quod ideo timor servilis, quo timetur poena ut summum malum, habens natura sua adiunctam voluntatem peccandi, ideo possit dici bonus, si praecisio fiat ab iis adiunctis; quia potest esse aliquis timor bonus. An occisio huius innocentis est bona, quia potest esse aliqua occisio bona?

IV. Itaque ut, si fieri potest, ex huiusmodi testimoniis Augustini vera eius sententia colligatur: advertimus Augustinum in illis opponere duos timores, servilem et castum. Timor castus est, quo non sola poena, sed et culpa timetur et odio habetur, quo bonum fit amore iustitiae: quo sponte ex corde fit bonum, quo timetur separatio a Deo. Alter timor huic oppositus est, quo sola poena timetur, manente interius amore et cupiditate peccandi. Iam vero censemus timorem castum Augustini complecti utrumque timorem, eum nempe quem nos dicimus simpliciter servilem, et filialem, appellatione quidem accepta a nobiliore timore, ut quemadmodum caritatis nomen frequenter penes Augustinum significat quemlibet bonum motum voluntatis, ita et timor castus, qui cum caritate cohaeret, significet quemcumque bonum timorem. Timor vero servilis Augustini ille est, quem nos dicimus serviliter servilem. Id si suadeamus, nihil erit quod nobis amplius possit obici ex Augustino. Quaestio enim nostra est utrum timor ille, quem nos dicimus servilem, vel utrum omnis timor, sit coniunctus cum voluntate peccandi. Si Augustini senten-

tiae improbantem timorem non ad omnem timorem neque ad illum servilem referantur, sed solum ad serviliter servilem, si Augustinus loquens de timore casto complectitur etiam illum, quem nos dicimus servilem, liquet immerito timorem servilem per ea testimonia Augustini impugnari. Oportet nempe adversarios probare quod ea testimonia obiecta, quae vel malitiam timentis, vel inefficaciam timoris praedicant, loquuntur prorsus de omni timore eoque etiam, quem nos dicimus simpliciter servilem, quod sub timore casto Augustini non comprehenditur quoque timor noster servilis; nisi enim id praestiterint, frustra laborabunt in extruenda mole ingenti testimoniorum, quae idem semper dicunt. Porro eam esse sententiam Augustini, quam diximus, his animadversionibus suademus.

a) Timor servilis, qui ab Augustino opponitur timori casto, est ille, quocum manet voluntas peccati, mala cupiditas, quo sola poena non culpa timetur: atqui hic est timor proprius servorum, qui serviliter servilis dicitur, idque constat ex praecedente rei huius demonstratione a nobis data.

b) Timor, quem Augustinus in testimoniis obiectis reprehendit, ille est, quo timetur quidem poena, sed non habetur odio peccatum, non amatur iustitia. Reprehendit scilicet eos Augustinus, qui timent quidem poenam, sed non habent odio peccatum, ideoque, quod perinde est, non diligunt iustitiam. Id in omnibus iis testimoniis apparet: atqui hic est timor serviliter servilis. Ex timore enim simpliciter servili concipitur detestatio et odium peccati atque amor iustitiae.

c) E contrario timor castus ille est quo fit bonum *amore iustitiae, quia iustum est, ne amittatur amplexus pulcherrimi sponsi*. Atqui ex attritione quoque concepta ex timore simpliciter servili consequitur ut bonum fiat amore iustitiae; sicut enim attritus vere odit peccatum, ita vere diligit iustitiam: ideoque actiones eius sequentes et fuga peccati sunt ex odio peccati concepto sive ex concepto amore iustitiae. Ipse vero actus attritionis ex metu, licet non sit ex motivo formali amoris iustitiae, est tamen et ipse amor iustitiae, sicut est odium peccati. Id vero tantum postulat Augustinus, ut nempe ita timeatur poena, ut ipsum peccatum odio habeatur sive ametur iustitia, et exinde odio peccati sive amore iustitiae operemur: atqui id omne in attritione locum habet. Pariter bonum fit ne amittatur amplexus pulcherrimi sponsi, quatenus attritus ex timore reapse desiderat aeternam felicitatem sive possessionem Dei, vultque reapse non tantum fugere poenam, sed assequi Deum, et exinde bonum operatur in hunc finem ut Deum consequatur.

Ergo timor castus Augustini complectitur quoque timorem illum, quem nos dicimus simpliciter servilem. Cf. Faure l. c.

V. Non aliter accipienda doctrina s. Thomae in II. II. q. XIX., quae ad doctrinam Augustinianam amussim exacta est. Sed primo modus loquendi eius declarandus est. « Timor servilis (ait art. 4 ad 3.) secundum suam substantiam non importat nisi timorem poenae, sive timeatur ut principale malum sive non timeatur ut principale malum. » Substantia ergo timoris illius, qui est servilis, in eo est ut timeatur poena; accidit vero ei quod timeatur poena vel ut principale malum vel secus: Idcirco servilitas est ei accidentaliter, quae in eo est sita ut poena timeatur tanquam principale malum (ibid. et art. 6). « Obiectum (ait art. 4), timoris servilis est poena, cui accidit quod bonum, cui contrariatur poena, ametur tanquam finis ultimus et per consequens poena timeatur tanquam principale malum, quod contingit in non habente caritatem; vel quod ordinetur in Deum sicut in finem et per consequens poena non timeatur tanquam principale malum, quod contingit in habente caritatem. » Sicut ergo nos distinguimus duplicem timorem, serviliter servilem et simpliciter servilem, ita sanctus Doctor timori uni secundum substantiam tribuit affectiones accidentales duas seorsim possibiles, alteram, quam nos tribuimus timori serviliter servili et ipse vocat *servilitatem*, alteram, quam nos tribuimus timori simpliciter servili, quem ipse appellat solum timorem poenae sed ordinatum. Sed haec unitas timoris, iuxta s. Thomam, non esse potest nisi logica; in concreto enim timor inordinatus nequit idem manens evadere ordinatum.

Quapropter e sententia s. Doctoris timor poenae, qui sit simpliciter servilis, est bonus. Sane quid postulatur iuxta s. Thomam ut a timore absit illa servilitas mala, et proinde timor poenae sit seiunctus a voluntate peccandi et sit bonus. In responsione ad 1 art. 4 docet, quod timor servilis in tantum est servilis « in quantum non amat iustitiam, sed solum poenam timet »; et ita locutiones Augustini interpretatur. Si ergo ex timore poenae ametur iustitia, h. e. odio habeatur peccatum, timor non est servilis, h. e. abest ab eo servilitas, quae est mala. Id porro contingit, ut iam saepe monuimus, cum ex timore poenae detestamur culpam. Haec tamen nos urgent adversarii: nam in hoc art. 4, in quo quaerit: *an timor servilis sit bonus*, postulare videtur s. Doctor caritatem; ita ut nisi adsit amor Dei, timor sit servilis timeaturque poena ut principale malum habeaturque proinde voluntas peccati. Ait enim s. Doctor, *quod timeri poenam ut principale malum contingit in eo, qui non habet caritatem*. Haec est sententia, ex qua colligunt adversarii necessariam esse, e sententia s. Thomae, caritatem, ut voluntas peccati excludatur. Verum cuiusmodi est ea caritas, quam requirit s. Doctor, vel quid intelligit nomine caritatis? Etenim certum est ex doctrina ipsius

s. Thomae quod inter dispositiones, quibus homo se praeparat ad iustificationem, est quoque timor, qui actuale etiam dilectionem Dei praecedat (III. p. q. LXXXV. art. 5). Hic ergo timor, qui est dispositio ad iustificationem, est ne bonus an malus? Nunquam arbitramur s. Thomam collocasse inter dispositiones ad gratiam actum malum: atqui actus timoris, quo poena ut principale malum timetur, est malus, ex doctrina s. Thomae. Est igitur ille timor, quem s. Doctor inter dispositiones collocat, actus bonus, caret proinde ea mala seruitute. Non caret autem propter caritatem proprie dictam, quia ea adhuc deest. Caritas ergo, quam requirit Thomas, est caritas improprie vel virtualis, h. e. amor iustitiae, ut ipse declarat in resp. ad 1. Est nempe ea caritas, ille amor, de quo Augustinus loquitur: nec mirum sit Thomam Augustini doctrinam declarantem, huius locutionibus esse usum: et sic patet sententiam Augustini et Thomae in idem prorsus redire. Cf. De Valentia in hanc quaestionem et Suarez loc. cit.

VI. Nota. Solet quoque in hac quaestione provocari ad doctrinam Ioannis I. IV. 18: *Timor non est in caritate; perfecta caritas foras mittit timorem*: at nullum actum bonum caritas vel perfecta excludit: ergo. Respondeo sensum Apostoli esse quod qui perfecte Deum diligit, non timet ne in die iudicii damnandus sit a Deo, testimonium sibi perhibente conscientia eius, quod Deo seruiat. In hoc perfecta est, ait v. superiore, caritas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die iudicii. Non affirmat vero Apostolus quod timor hic a caritate excludatur cum omnimoda certitudine, sed intelligendum est cum ea morali certitudine, cuius nostra conditio est capax. Porro et cum exclusione huius timoris, quae locum habet manente caritate, componitur illud quod abstinemus a peccato etiam ex hoc motivo, ne scilicet incurramus poenam, a qua abhorremus; hic autem est timor, de quo loquimur: ergo.

### THESIS XXX.

*Attritio ex metu gehennae concepta voluntatem peccandi excludens, cum spe veniae, quod attinet ad dolorem in Sacramento Poenitentiae necessarium, est dispositio proxima et sufficiens ad iustificationem in eodem Sacramento obtinendam: quod ex analysi instituta cap. 4. sess. XIV. Tridentini certitudine theologica colligi potest. Neque ullo pacto huic doctrinae refragatur quod eadem Synodus docet sess. VI. cap. 6.*

I. Quidam ex adversariis nostris vel victi argumentis superius allatis, vel magis ac magis sententiam suam confirmare volentes,

cum concesserint vel permiserint attritionem ex metu gehennae conceptam excludere posse voluntatem peccandi, instant adhuc contententes eam nihilominus non sufficere pro iustificatione obtinenda in Sacramento, sed praeterea requiri actum amoris, sine quo vera hominis conversio, quae etiam in Sacramento esse debet, haberi nequit. Iidemque negant sententiam nostram contineri ullo modo capite 4. sess. XIV. Conc. Trid. imo aiunt sententiam suam necessitatis amoris etiam pro Sacramento Poenitentiae clare satis traditam esse ab eodem Conc. sess. VI. cap. 6. Nostrum erit post demonstrationem allatam doctrinae, quam defendimus, eorum argumenta quoad utrumque caput solvere.

Dispositio proxima et sufficiens ea est, praeter quam nihil aliud in subiecto requiritur, ut forma sit. Hic autem forma est iustificatio per Sacramentum obtinenda; erit ergo dispositio proxima et sufficiens ea, praeter quam nihil aliud postulari potest ut per Sacramentum iustificatio obtineatur. Verum rursus adverte, quod actus poenitentis, qui in Sacramento requiruntur, sunt plures; quare cum dicitur quod attritio est dispositio sufficiens, non intelligitur quod ipsa sola sufficiat, exclusis aliis actibus; sed intelligitur quod, quantum attinet ad contritionem, quae est pars poenitentiae et dispositio requisita, sufficit et proxime disponit in Sacramento contritio imperfecta sive attritio ex metu gehennae concepta.

Spes veniae non est actus attritionis, sed est actus attriti, qui attritionem ordinat ad reconciliationem impetrandam, compensatione aliqua etiam ex parte sua exhibita. Hic actus spei vel formaliter vel virtualiter existit semper in eo, qui vere peccatum detestans vult Deo reconciliari, si fidem habet. Fit vero specialis mentio spei ut magis indoles verae attritionis determinetur: sicut enim potest esse aliqua attritio non excludens voluntatem peccandi, ita potest esse aliqua attritio sine spe. Ceterum spes memoratur quoque cum de contritione generatim sermo est, ibid. c. 4.

Nota argumentum nos desumere ex decreto cap. 4. sess. XIV. Perperam vero quis contra argueret, eo quod doctrina nostra nullo sit canone stabilita; qua de re nolumus modo disputare. Decreta enim doctrinam continent fide tenendam. Sane ita, non secus ac in aliis Sessionibus, concludit Tridentina Synodus Decreta sess. XIV.: « Haec sunt, quae de Poenitentiae et extremae Unctionis Sacramentis haec sancta oecumenica Synodus profitetur et docet atque omnibus Christi fidelibus credenda et tenenda proponit. » Porro cum infallibile magisterium aliquid universae Ecclesiae credendum et tenendum proponit, id certe sufficit ut res proposita censeatur esse revelatione contenta.